

Wittenberg

Reuter

05
A
1695

(6)

V I R O
PLVRIMVM REVERENDO ATQVE
ERVDITISSIMO
D O M I N O
M. CHRISTOPHORO
LEMMIO,
SVNDIO POMERANO,
GRAVISSIMVM SACERDOTII MVNVS,
IN SVEONVM CASTRIS OBEVNDVM,
GRATVLATVR
IVXTA ATQVE
DE
VARIIS RERV M IN ECCLESIA VICISSITVDINIBVS
QVAEADAM EXPONIT
M. CHRISTIANVS REVTERVS, POM.
VERB. DIV. MIN. VITEMB.

VITEMBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.

Multa sunt rerum temporumque vicissitudines, quarum aliae, numine diviniore datae, commoda afferunt, et felici tandem eventu consistunt: Aliae parum auspicatae, hominumque culpa exortae, commovent omnia, et repentino impetu confilia medendi impediunt ac perturbant, gravissimaque tandem et infinita calamitate terrent, iactant, circumagunt, quatiant, furunt, ut miserabili singula clade confundantur. Sentit vero *Res publica* conversiones suas: nec minus *Ecclesia* suas experitur. Haec ipsa primis rei Christianae Seculis statu, media licet inter dumeta, florentissimo vigebat. APOSTOLI aliique *administri* in suas quisque regiones, Palaestinas initio, Syriacas, Asiaticas, Africanas, Romanas etiam, docendi, non imperandi, causa discedebant. Locis, verum edoctis, more, plurimum hodie obsoleto, imponebantur alii, qui non suam, sed Dei Gregisque causam agebant, et copta diligentissime persequebantur. Non fallaciis hi ad decipiendum subdolis, neque assentacionum umbris, nec verborum et fabularum conformatiōnibus, nec *terribilibus* artis phaleratae formis sua tractabant, sed mysteria patefacta ad fidem et *vitae sanctitatem* amore integro, ingenuoque iuxta ac moderato animo, sed et aperta simul distinctave ratione, et simplicitate sua gravissima proponebant. Nondum adorandae insulae erant, nondum purpurata Sacerdotia, nondum ex Episcopo Rex, aut ex homine Deus. Qvo fiebat, ut in dies augerentur Coetus Deo consecrati, et una cum docentibus mente placidaque inter ipsos confessione Servatorem suum venerarentur, eiusque merita stato vel antelucano etiam tempore in *aedibus*, *coenaculis*, *coemeteriis*, *silvis* etiam et *speluncis* congressi, *lectionibus*, et *precibus*, et *lucernis*, et *cantionibus*, et *Sacramentis* et *monitis* concelebrarent. Profani omnino non modo

non

05 A 1695

non admittebantur ad interiora sacra, sed ne ad limen quidem nomenque Christianum. Sua enim dicto veritas constare debebat: *Neminem Christianum malum esse.* Vita adeo sancti, moribus graves, victu cultuve moderati, confocatione ingenui, amicitia veri, eleemosynis liberales, officiis, dandisqve tesseris hospitalibus prompti, pro hostibus suppliques, institutione rudiorum ac suscipiendorum cura providi, disciplina in flagitosos et lapsos severi, docebant, honestissima rei Christianae specie non tegi debere impudentissimas voluntates et actiones foedas, sed statum, ipsumque *nomen Christianum emendationis* causas et signum afferre, qvo pii olim *Confessores et Martyres* ab seculi hominibus vere fese distinguebant, cum sublata voce clamarent: *Christi nus sum, neque mali quicquam a nobis fit.* Quemadmodum vero immanis *Imperantium* saevities, et malevolentissima *Iudeorum* aut ignarorum gentilium obtructatio acerbam fortunae dissimilitudinem statim adducebat; Ita procedente tempore in ipsa gente, Christo dicata, oriebantur talia, qvae de magna et doctrinae et morum inclinatione testarentur. Ambitio, aemulatio, qvam schismatum matrem prudenter vocavit *Tertullianus*, invidia, affectatus ΓΝΩΣΕΩΣ mirificae tumor; superba denique NOVANDI et reformandi libido primogenitos quosdam Satanae excludebat, qvorum proles foecundissima in orbem, maxime qva Orientem sollem spectat, effusa, numero et lacertis crescebat, latiusqve deinde evagata, et viribus et capitibus firmata contra coelum movebat, Deum in Personis suis et Christum sede deiectura, si valuisset. Sed nec illi omnes, qui Doctorum loco erant, stantes alioqui et fideles, caute semper agebant, et, disertiores saepius, qvam feliciores, condimentis Philosophorum utebantur, posteaqve, levius adhibitis Scripturis Sacris, cibos in veritatis succum haud concoquendos vel ex

Stoa, vel *Academia umbrifera*, vel *mensa Pythagorica* in vocibus horridis, nec aptis formulis, apponebant. Neque sua consuetae innocentiae gloria apud alios constabat, cum tyranni horribilibus ubique caedibus omnia complerent. Deinde vero magna, et illa quidem exoptatissima, rerum conversio accidebat, cum Imperatores, infasto Paganis omne, ad Christum accederent, suisque iam auspiciis religionem foverent, et adversus barbariem inveteratam tuerentur. Concessa quies, instaurata Sacra, exaedificata, vel repurgata templa, constitutae Scholae, conditae leges, restitutae possessiones, amplissima dona, et quae erant alia eiusmodi, efficiebant, ut ingenti laetitia publici ubique plausus darentur. At mira illa felicitas, variis modis turbata, non diu stetit. Turbones, *Principum* etiam *gratia* vel *incuria* pervicaces et iniqui, coelestem doctrinam ARIETANDO quasi convellere, et *ἀνατάληπτον τὸ Θεῖον* dilacerare, audacia frementes, moliebantur. Submoto etiam externo hoste, intestina bella ipsi quidam rabidi Doctores concitatabant. Splendoris et principatus cupiditate Antistites incendebantur. Odium, aut intempestivus de honoribus non impetratis dolor, optimos quosque Athanasios, Eustathios, Gregorios, Cyrillos, Chrysostomos aerumnis, iniuriis, exiliis, conficiebat. Coetus Coetum praestantiae gloria anteire anhelabat, atque ut rari olim inter Christianos mali, ita pii inter malos rari subinde magis fiebant. Interim hinc *Gothi* et *Vandalū*: illinc *Donatus* quidam, aut *Pelagius*, vel *NESTORIUS* et *EVTYCHES* Christum, aut Christi gentem *VNA* nocendi VOLVNTATE turbant. Accedebant sensim conficti cultus simulacra, et nimiae pompae ceremoniarum. Saltus enim facilis est a veneratione ad superstitionem credulitatem. Ita castissimos *Agaparum* olim, ac *Hetaeriarum*, *Lucernarum* et *Ieiuniorum*, *Sepulturae* quoque et *Memoriarum*, *Encoeniorum* deni-

denique, *Imaginum* et *Vestium* ritus in luxum tandem et abusum conversos esse, manifestum est. In peiora ruerat intervallum istud amplum, atque *Ecclesiae*, maxime vero *Imperiis* ac *Imperatoribus* fatale, quod AETATIS MEDIAE nomine auctores signant, nec sine causa ab aliis discernunt. Monstrosum *Muhammedis* ortus: *Saracenorum* et *Longobardorum* vastationes: aucta *superstitio* ex gentilismo accommodata: revocatae vel continuatae *Graecos* inter et *Latinos* praesertim de *Oecumenici* *titulo* altercationes: dirum inter *PHOTIVM* et *Ignatium* schisma: Paparum et Cleri vitae turpissimae, nefandae libidines, portentosae fraudes: *OBSCURA* fundatissimorum etiam et *illuminatissorum* ignorantia: literae prorsus neglectae: visionum *praestigiae*: amplificati rasorum Ordines: Pontificum in Augustos audacia *ORCO DIGNA*: meliora sentientium, ut *VALDENSIVM*, vexationes: spinosae *SCHOLARVM* qvaestiones: plena tandem et miserrima Orienti inducta caligo: ac plura eius generis mala, inqvirenti rationes suppeditant, qvare spatium id *Septingentorum*, et quod excedit, annorum tempus *effoeminatum*, *indoctum*, *ferreum*, *plumbeum*, *monstrosum* ab ipsis etiam Romanis Auctoribus appelletur. Qvantum autem literae humaniores certaeve Religionis partes, spiffis inferorum quasi tenebris liberatae, magis ad Germans et Septentriones *Caroli M.* et *Ludovici Pii*, tum *Bonifacii* cuiusdam auspiciis, eniti saepius conarentur, ac porro per *VICLEFOS*, aut *Hieronymos* aut *Hussos* eluctari laborarent; antiquae tamen foeditates difficiles progressiones reddebant. Adeo enim implicata et infixa haerebant vetera, ut nullis principum Imperiis, nullis *SYNODORVM* iudiciis decretisve evelli, aut in ordinem redigi possent. Tandem vero aliquando, *LVTHERO* divinitus fuscitato, purioris lucis radii perrumpunt, orbisque regiones denuo

collustrant, ac multam partem emendant. Sed neque in
EXTREMO commutatio boni abesse potuit, paulatimque du-
ra ista evenerunt omnia, qvae praedixerat Vates ille Ger-
manus. Post haec alii exultent de imminente meliorum
temporum atque Ecclesiae felicioris conditione, et nescio
qvos Christianos futuros pronuncient, nos certe nihil amplius,
qvam plures *Christianos Heraclitos*, cum *Democritorum*
sat habeamus, exposcimus, qvi humili et poenitenti animo
iratum Deum implorent, eiusque gratiam Ecclesiae, ulti-
ma sub confusione ingemiscenti, acerrimo qvodam pre-
cum certamine revocare contendant. Atque his de rebus
longius forsan, qvam instituti ratio ferebat, egi, quod **TV,**
VIR PL. REVERENDE, facile condonaveris. Dele-
ctaris enim, qvod scio, tali argumenti genere, in qvo ce-
lieri et praecisa recordatione versari, commodum mihi ac
iucundum videbatur. In expromendis praedicandisqve
virtutum Tuarum laudibus prolixus ut essem, eximia illa
animi Tui modestia, qva per annos cognitus mihi et pro-
batus es, prohibebat. Neque multa mea opus erat scri-
ptione, ut declararem, quantum rerum divinarum huma-
narumqve doctrina valeas, propterea qvod cum in Alma
Tua *Gryphica*, tum in *Vitembergensi* nostra eos habes praef-
stantiae Tuae Testes locupletissimos, qvorum de excel-
lentibus ingenii latum iudicium non nisi ignorantia ob-
scura, aut inimica vel scurrilis inhumanitas contemserit.
Conscripti enim utriusqve loci Patres sive explicationem
interiorum coelestis disciplinae capitum traderent, sive de
difficilioribus Scripturarum Oraculis commentarentur,
sive recondita, qvae a Philosophia petuntur, subsidia aperte
commonstrarent, pronis auribus promptoqve animo exci-
pientem TE habuerunt, nec spe fallaci augurati sunt,
aptum et insignem beatissimi Parentis Tui, ceterorumqve
Maio-

Maiorum, et Propinqvorum, qvibus Ecclesia Pomerana
aeternam meritorum gloriam conservabit, aemulum, ne-
que imparem omnino successorem fore. Ita instructus
optimis literis, et linguis doctis imbutus, modeste prodiisti,
et luculentis disputandi speciminibus *qvingvies*, ac *ter* qvi-
dem ex superiore Praefidis loco, in confessu doctissimorum
hominum expedite, et bonis omnibus applaudentibus,
praeclaras ingenii vires et scientiae copiam explicuisti, am-
plius id persecuturus, atqve Amplissimo Philosophorum
Ordini brevi adscribendus, ni iniecta alia fuissent. Adeo
non per praecipites saltus, ut verae eruditionis ignari, et
vix ultra primas literas progressi nugisqve incitati solent,
sed per gradus considerato ad maiora processisti, verum
solidumqve honorem, ratus, non in splendore titulorum,
et intempestive arrepta gloria, sed in meritis et vere do-
ctorum iudiciis repositum esse, multaqve diligentia parari
debere. Neqve convitiis infectando alios, aut de innoxiis
ipsorum conatibus detrahendo laudem qvaesivisti, ut so-
lent isti, qui rusticitate sua, et, convatas Rhapsodiarum
opibus elati, soli sibi sapiunt, nec qvicqvam pulcrum aut
doctum, aut elaboratum, aut hominum sensibus ac men-
tibus accommodatum, vel iucundum, insolenti opinionis er-
rore ducunt, nisi qvod ipsi arte sua polycletea effinxerint
aut formarint. Prudenti alias et composita dicendi ra-
tione qvid valeas, qquamqve eloqui divinas res aperte ac
religiose possis, Suggesta Vitembergae etiam loqvuntur,
ex qvibus concionantem TE magno cum praesentium
fructu audivimus. Atqve hoc ipso facile consequebaris,
ut *Illustrium PROCERVVM ac PATRONORVM, Generosissimi*
inprimis DVKERI, favorem et praemia opinione citius
TIBI conciliares, eiusqve *Chiliados amplissimae Sacerdos*
sublegereris. Academia promovendis iuvenum commo-
dis

dis tenere amplius TE cogitabat ; Deus vero in Con-
cione TE stare voluit , ut audire plures docentem , et se
in docentis velut clarissimi exempli mores formare pos-
sent. Abi ergo bonis auspiciis faustisqve avibus in Ca-
stra. Prodi in certamen , magnave animi contentione ac
fortitudine paecepta mysteriaqve divina cura , tuere et
defende. Armis sanctioribus instructus adversus monstra
confurge , atqve errorum , et nugarum impiarum , et vi-
tiorum pestes , intestinam aliquam quotidie perniciem mo-
lientes , coelestibus munitus praesidiis reprime , dispelle ,
disiice , et ad internacionem usqve excide. Victor adeo
templum tuum intra. Fac laetus divinam rem , coelestes
perage ceremonias , et pro salute Tuorum pie religioseque
et diligenter vigila. Deus nutu providentiaqve sua TE
in Castris volantem servet ac provehat , et pericula qvae-
vis et morborum discrimina arceat benigne et avertat , ne-
que ullam Tibi difficultatem in viis obiici patiatur , ut Pa-
tria TE in columem aliquando et maioribus honorum gra-
dibus , qui TE manent , exceptum complectatur. Avita enim
Gentis celebritate incitatus ad superiora niteris , et BAT-
TORVM , AVI PROAVIQVE , multis et magnis in Eccle-
siam et Academiam meritis amplissimorum exempla illustria
intueris , traditamqve a Maioribus dignitatem industria et vir-
tute sustinere elaboras. Interim ego TE abeuntem cogitatio-
ne votisqve proseqvar , ac TVI , Amici iucundissimi , ut cetero-
rum , quos nosti , ab oculis seiunctorum , carissimorum praeci-
pue istorum Nominum , MVNDINI et STAHLEKOPFII ,
memoriam nulla vetustate obsoletam conservabo. Atqve hoc
ex adversa parte reficiet me et solatio permulcebit , ut , Pome-
rania fere exclusus , in Dei gratia , vera illa nec fallaci , tum in
amicorum et bene cupientium animis probis et apertis , in
qvibus nec latebrae sunt nec recessus magni ,
svavissime conqviescam.


05 A 1695

ULB Halle
003 779 173

3



WAP



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Inches

(6)

VIR O
PLVRIMVM REVERENDO ATQVE
ERVDITISSIMO
D O M I N O
M. CHRISTOPHORO
LEMMIO,
SVNDIO POMERANO,
GRAVISSIMVM SACERDOTII MVNVS,
IN SVEONVM CASTRIS OBEVNDVM,
GRATVLATVR
IVXTA ATQVE
DE
VARIIS RERVM IN ECCLESIA VICISSITVDINIBVS
QVAEDAM EXPOSIT
M. CHRISTIANVS REVTERVS, POM.
VERB. DIV. MIN. VITEMB.

VITEMBERGAE, LITERIS GERDESIANIS.